



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Batavia, Sive De Antiquo Veroque Eius Insvlae Qvam
Rhenvs in Hollandia facit situ, descriptione & laudibus;
aduersus Gerardvm Noviomagvm, Libri Dvo**

Aurelius, Cornelius

Antverpiæ, 1586

Post haec summus Pontifex accepto iuramento accedens inungit eum in
Imperatorem, & capiti coronam imponit, dicens:

urn:nbn:de:hbz:466:1-38123

tuum in obeundis negotiis, fortitudinem in periculis, industriam in rebus bellicis & familiaribus, celeritatem in conficiendo, consilium in prouidendo, & æquitatem in iudicando admirentur & celebrent vniuersi. Verum enim verò, quoniam hæc omnia & forsitan digniora non diffidimus in te inueniri posse: (nisi à tuis degenerare velis progenitoribus) serenissime fili, si ex more maiorum tua sponte & integerrimo corde paratum te offers ad præstandum nobis fidelitatis iuramentum, secundum literas imperiales aurea bulla munitas, & in Romanæ ecclesiæ archiuis diligenter repositas, accede huc, & coronam imperialem tuo capiti imponere non tardabimus.

Post hæc summus Pontifex accepto iuramento accedens inungit eum in Imperatorem, & capiti coronam imponit, dicens:

ET quoniam tua sponte atque vltronea voluntate hoc te fili sacramento astringisti, vt nunquam à Christiana republica deficias; quin ei, vbi casus tulerit, præsidium præstes, eiusque hostes propellas, atque vt vno omnia explicemus verbo, eum te facile exhibeas, qualem optimum decet esse Imperatorem: iccirco diadema sacri Imperij

tuo capiti imponimus, & auctoritate Dei ac B. Petri te in caput omnium Christianorum sacro inunctum chrismate constituimus. Tu ex hoc pro tua admirabili diuinaque virtute, sub Christi optimi maximi signis enixissime militabis, atque Christianam rempublicam, quo ad eius per te fieri potest, tueri semper conaberis. In hunc maxime modum inuictissime Imperator & serenissime fili, dignissimis ab omni populo celebraberis laudibus: & cum ab hac mortali vita (quod Deus omen auertat) decesseris, piorum locum & sedem consequere. Hac nos proculdubio mente sumus, & fide stabili credimus, imò & constanter de Omnipotentis confisi clementia, eum sacrorum collegiis inferendum asserimus; qui hæreditatem Domini de manu hostili eripere, & ecclesiam Christi defendere destinavit. Neque enim fieri potest, ut tu qui sanctè iusteque posthac vitam institueris, & sanguine tuo atque gladio Christi iniuriam vindicaris, beatitudine non perfruaris sempiterna. Vade in hac fide atque fortitudine quocunque te ecclesiæ casus vocauerit, & Dominus tecum erit in omni loco, virorum fortissime. Ito in pace.

Excusat